

sed post etiam non cognouit eam perfectus non audens ei commisceri. quam matrem dei cognoscebat. Et ita exponit auctoritatem apostoli quod pastores et doctores dati sunt in edificationem corporis christi tribulati. et diuisi sub forma quattuor animalium et vigintiquattuor seniorum. contra bestiam bellantium. et hoc durabit sub hoc esse imperfecto. donec occurrant omnes unitatem fidei. et celum primum abibit. et terra iam non erit sub hoc tristi esse. sed ad meliorem formam pueniet sub forma duodecim portarum et duodecim fundamentorum et duodecim margaritarum. et eorum que supra scripta sunt. Alia ratio soluta est in littera. quod non egebunt ad fugationem errorum. sed ad illuminatorum profectum et augmentum. Quia in illo statu erunt incipientes. proficientes. perfecti. non tamen recidiuantes. Et hec sufficiant pro presente capitulo.

**Capitulum ultimum. De vita et moribus ecclesie iam reformate.**

**O**stendit mihi flumen aque vite etc. Ordinatis iam regnis et pontificatibus precipuis duodecim in uniuerso mundo. qui sunt duodecim tribus israelite christi. Nunc in hoc ultimo capitulo facit tria. Primo ponit mores illius ecclesie. Secundo replicat quedam supradicta ibi. Et dixit mihi. Tercio ponit ecclesie preparate desiderium tam primitiue quam intermedie et ultime ibi. Et spiritus et sponsa. Primo igitur ponit mores ecclesie ultime ad similitudinem status innocencie. Ubi nota secundum doctores. quod in statu innocencie fuit gracia inuoluntate originalis. qua uoluntas hominis fuisse deo semper inherens per charitatem. et proximo per dilectionem. Et ideo opera eius fuerunt meritoria et edificatoria et stabilia. Et sicut in illa ecclesia erit baptisatus hoc donum. Et ita mores eius erunt compositi beate. tam in contemplatiuis quam actiuis. Et sic legatur littera. Et angelus ostendit mihi flumen aque vite. que est baptisimus.